

ADRESSE

DES ARCHEVÈQUES ET ÉVÈQUES DES PROVINCES DE
QUÉBEC, MONTRÉAL ET OTTAWA AU SOUVERAIN
PONTIFE, À L'OCCASION DE SON JUBILÉ
SACERDOTAL. (Septembre 1887.)

SSMO DNO NRO LEONI PP. XIII.

BEATISSIME PATER,

Sub veteri lege, ingruentibus malis, Dominus populo suo dedit Simonem, Oniæ filium, Sacerdotem magnum “qui in vita sua suffulxit domum et in diebus suis cor-“ roboravit templum... Quasi sol effulgens, sic ille effulxit in templo Dei. Quasi arcus effulgens inter nebulas gloriæ et quasi flos rosarum in diebus vernis, “et quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ et quasi thus redolens in diebus æstatis... Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.” (Eccli. L.)

Nec novæ legis S. Pontifici minor concedi debuit splendor et virtus cui cum ampliori dignitate confertur sublimior et universalior potestas, præsertim in nostris miserrimis temporibus, quando templum Dei vivi quatitur, Ecclesia tantis exponitur periculis, omnis veritas impugnatur et omnia jura proteruntur et conculcantur.

Quapropter Nos infrascripti Archiepiscopi Quebecen-, Marianop. Ottawien., et Episcopi Provincie Quebecensis, Deo Optimo gratias ex intimo corde agimus qui Ecclesiæ Christi non solum pontificem dedit cujus scientia mundum illuminaret, prudentia in discriminé extremo periculum amoveret et pietas omnibus esset